



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.  
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,  
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,  
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1614**

Coenobia S. Petri de Nigella; S. Sereni de Cantumerula, & B. Mariae de  
Bricolio, in dioecesi Trecensi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11261**

*Cœnobia S. Petri de Nigella; S. Sereni de Cantumerula, & B. Mariæ de Bricolio, in diœcesi Trecensi.*

**S**perabam fore ut quædam documenta nanciscerer, ex quibus originem cœnobij S. Petri de Nigella abscondita, Ordinis S. Benedicti deprehenderem, necnon & S. de Cantumerula Ordinis S. Augustini, quæ virilis sexus monasteria sunt ac B. Mariæ de Bricolio pariter Ordinis S. Benedicti, quod est puellare cœnobium, sed frustra indagatio in hanc rem à me impensa, sola enim nudaque nomina mihi datur edere. Id vnum dicam, ciuilibus motibus & alijs causis ipsa monasteria nunc pene deserta, nec eum numerum religiosorum & monialium in eis esse, qui diuino officio persoluendo satis esse possit. huic verò rei pastorali cura R. Episcop. Trecens. mederi debet, in idque incumbere, ut Ecclesiæ & septa præfatorum cœnobiolorum collapsa restaurentur, quandoquidem eius visitationi subiacent. Obseruandum in super festum eiusdem S. Sereni Confessoris in dicto cœnobio de Cantumerula 2. Octob. die celebrari, & ipsius reliquias in Prioratu de Cella Ordinis S. Benedicti semileuca tantum à præfato monasterio distante custodiri. Præterea F. Ioannem Oliuier dicti cœnobij de Nigella quondam Abbatem, sibi & eis qui in abbatiali cathedra successuri essent à Ge-  
orgio

orgio de Ambasia Cardinali in regno Franciæ  
S. Sedis Apostolicæ Legato ius facultatemque  
gerendæ mitræ ceterorumque Pontificalium  
insignium obtinuisse, in quem finem præscri-  
ptæ literæ apud Pontisaram Id. Sept. an. 1509.

## CAPVT XLVI.

*S. Petri consecrati monasterium, vulgò VVeys  
S. Peter, Scotorum extra muros Ratisbo-  
nenses, & S. Iacobi intra muros.*

**M**onasterium hoc dicitur tempore  
Caroli magni inceptum, & in colle  
victoriæ extra muros positum, vbi  
corpora interfectorum sepulta, consecratum  
miraculosè per sanctum Petrum cælitus, iux-  
ta chronicon illius monasterij apocryphum,  
&c. Sed cum iste locus arctior & angustior  
esset, quàm vt tot fratres caperet, ædificatum  
est in agro quodam plano & lato Domini  
Alberti nobilis viri de Midersil in montanis,  
qui residebat in proprijs possessionibus apud  
Phrandenhufen, monasterium Scotorum in  
honorem D. Iacobi; sub Dominico primo  
eius loci Abbate, tempore Erkanfridi Epi-  
scopi Ratisbonensis, & Lotharij Imperato-  
ris, circa annum 845. Ita habent Chronica  
Episcoporum Ratisbonensium.

Verùm Auentinus libro 5. Annalium, ex  
diplomatibus quæ exstant longè aliter, nem-